

Exactorem (more hactenus observato) ipsis Regni Statibus praestetur et exolvatur; cum onere, per eosdem Status et Ordines de ejusmodi perceptis et erogatis, Suae Majestati Sacratissimae dandae Rationis. *)

Ut Camera Graecensis Transactioni in itae se accommodet.

Articulus 116.

Aequitati et Justitiae comperit esse conformem Sacra Majestas Caesarea et Regia, humillimam Statuum et Ordinum Croatiae et Slavoniae instantiam; quam adversus Camera Interioris Austriae, Graecensem dictam, promovissent; in eo, quod eadem Camera Transactioni cum iisdem Statibus, Occasione Bonorum Zrinyano- et Frangepaniano-Fiscalium, coram Augustae Reminiscentiae LEOPOLDO Primo Imperatore et Rege in itae, se accommodare hactenus intermisisset.

§. 1. Ac proinde, altéfata Sua Majestas Sacratissima, se clementer demandaturam obtulit; ut, in quantum praefatae Transactioni satisfactum non esset; non solum eandem ex integro mentionata Camera observare; verum comperta Rei Veritate, hactenus neglecta, effective exolvere teneatur. **)

§. 2. De Provinciarum quoque Lika et Corbavia, suo tempore (et quocitius fieri poterit) Reincorporatione instituenda; benignam Provisionem, se adhibituram pollicendo.

§. 3. Metarum itidem inter Provinciam Styriae et Carnioliae ac modo fata Regna (prout etiam de plaga Terrae, inter Legradiensis in Comitatu Szaladiensis, ab una; et Possessionem Nagy- et Kis-Attak, cum una alia Terrae Parte, Gradische appellata, in Comitatu Crisiensi existentium Incolarum, ab alia, Partibus, subortas et vigentes Controversias) ac alias similes, inter ipsos Regnicolas et Dominium Csaktornya emersas; Commissione mediante, per denominandos, ex Parte Suae Majestatis Commissarios; ex Parte vero eorundem Statuum et Ordinum: Dominum Episcopum Zagrabiensem; Comitem Petrum Keglevich; vel eo impedito; Comitem Joannem Draskovich, et Paulum Cseskovich Praepositum Zagrabiensem; ac Joannem Branyug, eorundem Regnorum Proto-Notarium; deinde Vice-Comitem Comitatus Crisiensis, eo vero interessato; unum Zagrabiensem; accommodandos benigne resolvit. ***)

De Pulsione Boum, per Portum Buccari.

Articulus 117.

Libera Pulsio Boum, per Portum Buccari, praecedentium etiam et tot Diaetarum Articulis admissa; nunc quoque non impeditur; dummodo vicinis Provinciis, quoad Pecorum suorum necessariam Distractionis Commoditatem non praejudicet. †)

*) Confirmatur et extenditur; An. 1741. a. 54.

**) Confer; An. 1741. a. 52.

***) Confirmatur quod controversias metales; An. 1741. a. 53.

†) Denuo admittitur baec Boum pulsio; An. 1741. a. 55.